

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputatio Philologico-Exegetica Cainum Ad Saniorem  
Mentem à Deo Revocatum**

**Hoheisel, Carl Ludwig**

**Gedani, [MDCCXXII?]**

**VD18 13024302**

Per-Eximio Politissimoque DN. Respondenti, Domestico suo percharo  
S.P.D. Disputationis Praeses.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16969**

PER EXIMIO POLITISSIMOQUE  
DN. RESPONDENTI,

Domestico suo percharo

S. P. D.

DISPUTATIONIS PRÆSES.

Fratres Phaëtonis & Icari socii non immerito adpellari merentur, qui, scrutinio Fontium Sacrorum susque deque habitu, in Theologiam Theticam, Polemicam, quin Homileticam illotis manibus provolare non erubescunt. Aliam prorsus Tibi, Amice æstumatissime, inesse mentem, abunde haec tenus demonstrasti. Ex quo enim ædes meas incolere cœpisti, tantam in Te, ad studium Lingvarum Sacrarum, Græcæ non minus ac Ebrææ excolendum, animi propensionem animadverti, ut non passibus lentis; sed celeri cursu progredi videreris. Non tantum Lectiōnibus meis publicis sedulus & constans interfuisti auditor; sed & in Collegiis, ut vocantur privatissimis, quotidie ferme latus meum premens, solida Sacrae Philologiæ fundamenta jecisti. Nunc ad altiores Scholas abitum meditans, studiis tuis laudabiliter apud nos gestis Specimine Publico finem imponis, ut illi, quibus rerum tuarum ratio est reddenda, intelligent, non male, quod in Athenæo nostro transegisti, collocatum esse tempus. Quo nomine sicut ὄλοναρδιως tibi gratulor, ita, ut Patria nostra aliquando ex studiis Tuis comoda quamplurima uberrimosq; fructus capiat, Deum precari non desinam. Abi ergo, Amice dilectissime, & redi feliciter meq; quod haec tenus fecisti, amare perge.

Scripsi, Calendis Januarii MDCCXXII.

**E**N! dum defendis notum feritate Cainum,  
Cui dat consilium sanius ipse Deus;  
Sanius, ac multi, qveis fœtet sancta loqvela,  
Pectore consilium, Fautor amande, foves.  
Scilicet exactè lingvas vis nosse sacratas,  
Nec ferri illota in pulpita sacra manu.  
Gratulor hos ausus, animo qvos volvis honesto,  
Dicat eis summus semper Iova bene!  
Hæc Gratulabundus deproperabat  
**GODOFREDUS Thiel**, Ged. Opp.

**C**Onscendis Cathedram, Specimen feliciter offers  
Egregium Doctis Ingenique TUI.  
Gratulor ex animo; Coeptum DEUS ipe secundet,  
Ausibus atqve Tuis semper adesse velit.  
Cumque brevi TIBI sit patrias mens linquere  
**MUSAS,**  
Ito bonis avibus: candida Fata precor!  
Paucula hæcce in honorem  
Politissimi Dn. Respondentis,  
properante apponere  
voluit calamō  
**MATTH. Gottl. Prüdelmeyer**, Ged. Opp.

**L**Atro fuit Fratris germani, latro, Cainus,  
Horrescunt cuius secla futura manus.  
Judicis hortatus Te, qui nunc excutis, acres,  
Laudibus ornabunt secula perpetuis.  
**CAROL. FRIEDER. Weichmann**, Servesta-  
Anhalt. Opp.

• (o) •

